

tudine per le umane discipline.

La sfiducia dell'amico nei propri meriti fu forse spiegabile, ma non perciò doveva dubitare della loro amicizia così lunga ed affettuosa,

Come potrebbe il V. dimenticare la deferenza sempre usatagli dall'amico ossequioso ?

Come disconoscere ch'el abbia sempre lodato le doti e la diligenza di Almerico, nel cui avvenire confida pienamente ?

Lo esorta quindi a proseguire per la via intrapresa,

e annunzia infine d'aver veduta l'eclissi da lui poco innanzi predetta.

barer; sed ea tanta est ut, si quem videam bonis artibus preditum, virtutum litterarumque studiosum, aut si modo clara indoles futuri spem temporis fecerit, non amare non possim. de meritis fortasse tuis, quanvis non deberes, diffidere potuisti, quod plerique sapientes solent, ut, quo res suas minoris faciunt, eo maioris facere studeant; de amicitia vero minime, que, ut maiora sileam, ex tam longo tempore, tot amenis conversationibus, tam iocundis convictibus ^(a), tot amicis confabulationibus et genita et in hanc diem nutrita est. nunquid me preterit quod tu me semper omni officiorum genere prosecutus ^(b) sis, quod ante omnes obsequiosissimus fueris, tibique semper honor meus commendatus extiterit? quid aliud unquam soleo, cum de probis viris egregiisque adolescentibus mentio incidit, quam virtutem tuam laudare, ingenium efferre, doctrinam diligentiamque predicare? et sane inter paucos, qui multa de se promittunt, tu es unus in primis de quo bene conceperim. ¹⁵ non est ergo ut aut tuis aut cuiusquam verbis clarior michi spes aut existimatio ingeneretur, quo te amplius amem. abunde te novi; probitas tua penitus michi perspecta est, quam, ut ipse mecum miror, ita et apud alios predicare non desino. tuque, si quid michi credis; augurari enim libet; prosequere ^(c) ut cepisti, ad magnum et virtutum et honoris et rerum culmen per venturus. postremo eclipsim ⁽¹⁾ quam predixeras, non calculo, quoniam ea studia ad tempus michi remissa sunt, sed oculo vidi ac plerisque sub tuo nomine significavi. ex qua re laudem tibi ab aliis quesivi; a me vero et amoris fomentum et certius de rebus tuis argumentum conceptum est. vale. Padue, .viii. idus decembris 1400.

(a) *B P* convitibus (b) *B* persecutus *Codd. es* (c) *B P* persequere

(1) Allude forse all'eclissi solare del 18 settembre 1400, che sarebbe stata visibile a Padova, al momento della massima fase, verso le ore 15.22,

secondo un calcolo gentilmente fatto dal chiar.mo dottor F. ZAGAR del Regio Osservatorio Astronomico di Padova.